





19

DISSERTATIONEM IVRIDICAM
DE
SIMVLATIS
CONTRACTIBVS,

GERMANIS:

Von denen bey vielen zur Mode gewordenen
jedoch widerrechtlichen Contracten.

SVB PRAESIDIO

ILLVSTRIS NOMINIS IENENSIS ICTI

GEORGII ADAMI STRVVII,

HAEREDITARII IN Ulystadt,

HABVIT

CHRISTOPHORVS STOCKIVS,

BARBYENSIS SAXO, Aet

A. O. R. CIOIO CLXVII. DIE I. MENSE IVLII.



DE PROVIDENTIAM NECESSARIAM ET IN FORIS UTILITATEM,

I E N A E,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1748.

121

DISSECTIO ORNITHOLOGICA


DE AVIBUS
SIVE
DE VITIS AVIARIUM

AVIARIUM
SIVE
DE AVIBUS

AVIARIUM
SIVE
DE AVIBUS

AVIARIUM
SIVE
DE AVIBUS

AVIARIUM
SIVE
DE AVIBUS



AVIARIUM
SIVE
DE AVIBUS





I. N. D. N. I. C.

PROOEMIUM.



*Non solum valde deploranda est
hebeu ! hodierna nostra ex lap-
su primorum Parentum mise-
ria contracta ; in qua nunc
tristissimis oculis, innumeras
animi fœdisimas pro purissi-
ma ejus ante à Deo indita integritate qualitates, in vi-
cem adspicimus ; Sed etiam præ reliquis summe de-
testanda est callida ista simulandi à Diabolo in homi-
nes traducta nequitia, qua primum tanquam frau-
dulofus sub pelle serpentina simulator & mendax ;
Candidissimos nostros in primævo statu Parentes de-
cepit ac postmodum in omnes ejus posteros undique
hoc simulandi vitium disseminavit, ut non immeri-*

A 2

to

to corruptam nostram intuentes naturam, de quovis
homine cum Tullio dicere cogimur :

Os, Frons, Oculi, Vultus, mentiantur.

Verum enim vero multo magis insuper illi, hodie vi-
tuperandi, pariter ac è consortio cordatorum homi-
num ad Orcum usque condemnandi sunt, qui ne se-
mel ex illo deperditam suam agnoscunt naturam, sed
potius omnem navant operam, quo in hac simulandi
arte se perficiant, & ingerendis rebus, miris ac va-
riis technis, privatum cum alterius injuria commo-
dum sub falsa prudentia laude quaerant. Hi se eo di-
ligentius fallacis simulationis originem animo expen-
derent, Deumque naqdioris acerrimum vere crede-
rent, sane illico abhorrent ab hac, & veritatem
magis quam simulationem amaturi essent. Sed quis
mortalium hoc observat? Quis iram Dei per hanc
excitari putat? Quis justitiam ea violari animad-
vertit? Quis societatem, Fidem, Charitatem, ejus
usu intempestivo infirmari & plerumque plane tolli
sentit? Totus totus orbis terrarum simulatoribus
est repletus: Simulant Reges & Populi; simulant
Heri & Servi; simulant Mariti & Uxores; simu-
lant Liberi, Magistratus, Cives, Clerici & Amici,
omnesque qui paululum usum rationis secum senti-
unt. Hinc tot audiuntur in societate hominum per-
fido-

fidorum & hypocritarum querela; tot clandestine & teſta perpetrantur cædes; tot ſiunt illicitæ conventiones; tot exiſtunt leſiones & deceptiones, ob quas indices judicium pulſantur fores, arduæque juſtitie ad expellendas & reſcindendas illas imploratur auxilium. Quarum cum infinita ſimulationum genera, præſertim in hac ultima hujus mundi fœce ab hominibus tractentur & proferantur; longe præ cæteris admodum frequens eſt ſimulatio contrahentium & negotiantium, qua sæpe citra omnem urgentem neceſſitatem ex ſumma malitia ad defraudandos alios nonnulli ſe offerunt, iisque bona alterius ad ſe trahunt, & ſic Remp. turbant, maximeque deformant; proinde Leges laude dignas Imperialique robore firmatas, & antiqui, & hodierni juſtitie ſacerdotes, boni & æqui notitiam profitentes; æquum ab iniquo ſeparantes: licitum ab iniquo diſcernentes L. 1. §. 1. ff. de Juſtitia & Jur. alacri animo tradiderunt; quibus ſimulantium iniquitates expellant, metuque pœnarum bonos & veraces in gerendis rebus efficiant, eoſque iterum quaſi ad primævi ſtatus priſtina officia redigant. Ac licet optandum quidem nunc eſſet, ut jam quævis Reſpubl. tales veritatis ſtrenuos haberet cultores, ut non aliter quam ſentirent loquerentur, ac ſic ſolo candore naturæ convenientiſſimo omnia eorum

rum negotia administrarentur & consisterent; tamen aliud, probo dolor! in praxi fieri quotidie videmus. Ne igitur inveterata illa simulandi libido tantum in animis, & dolosis contrahentium instrumentis lateat; sed etiam non tam ex diligenti Magistratum censura, quam etiam crebro discursu magis magisque in apricum prodeat. Placuit mihi in amorem veritatis ex tenui & levi hactenus tractata juris cultura, de intricatissima simulatorum contractuum materia exile quoddam periculum facere, eoque primas ex ea collectas fruges summo justitie Auctori offerre, ut & prudentum & cordatorum virorum memoria consecraret. Id vero, ut iusto fiat ordine, collibuit XI. capitibus hanc materiam comprehendere: ut in I. præmittam quætionem: An in Contractibus simulationes sint licite? in II. Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam explicem; III. de Definitione & Divisione brevissime agam. IV. de Personis contrahentibus. V. de Objecto. VI. de Forma. VII. de Fine & Effectu. VIII. de eorum Actionibus. IX. Probationibus & Præsumptionibus aliquid dicam. X. quænam iis affinia sint tradam, ac XI. tandem Contrariis adjectis, hanc disputationem finiam. Quod dum felici successu fiat: Faxit DEVS T. O. M. in cuius adiutorium nostros erigimus animos & ingenium, L. 1. princ. C. de veter. jure enucle. ut quæcunque cogitamus unice in sui vergant gloriam.

DIS.



DISSERTATIONIS IURIDICAE
DE
CONTRACTIBVS
SIMVLATIS

CAPVT I.

QVAESTIONEM CONTINENS:
AN SIMVLATIONES IN CONTRA-
CTIBVS SINT LICITAE ?

APHORISMVS I.



Præterquam hanc de contractibus simula-
tis materiam, prout instituti nostri re-
quirit ratio recte aggrediar, omnem-
que dubitandi occasionem, qua L. B.
aures meas postea vellicare possit, præcipiam:
primum huic discursui convenientem apponere
hic lubet: quæstionem; An videlicet licitæ sint
simulationes in contractibus? Duo hic circa hanc
quæstionem consideranda veniunt, antequam ad
certam

certam deveniamus responſionem : I. Ipla Contractus natura. II. Diverſus ſimulationum uſus. Ad illam ſpectat

I. Conventio, ſine vel cum ſolemnitate verborum, qua contractum inſituri de uno ac certo convenire debent placito. Nam ſicuti convenire dicuntur, qui ex diverſis locis in unum colliguntur & veniunt, ita, qui ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt. *L. 1. §. 2. & 3. ff. de Pactis. Calvin. in Lexic. jur. in verb. Contractus.* Ex his jam illud fluit conſectarium ; ut eandem contrahentes mentem non diverſam in id quod unusquisque ex contractu ſibi dari aut fieri voluerit, fovere debeant. Si itaque quis aliud in pectore condit, aliud vero ad decipiendum ſeu fallendum profert, tantum abeſt, ut ex tali conventionem alter intentionis ſinem obtinere poſſit, ut neque intercedente tali ſubdita ſimulatione ullum Contractum celebratum fuiſſe recte dicatur. Contractus enim nullam patitur mentis diſcrepantiam, E. nec ſimulationem, cujus obiectum eſt rō ſignificare fallum, quod ſi apente alter in contrahente vidiffet, nunquam cum eo contraxiffet, aut ejuſmodi fallaciam extruiffet. Si vero ſolemnitatem verborum exigit Contractus, nulla in eo tunc locum habere poterit ſimulatio, cum men-

mentem quis certis verbis obstrictus sit declarare; aut si non fiat, Contractus erit invalidus §. 1. *Instit. de V. Obligat. L. 23. ff. de manumiss. testam.*

II. Requiritur etiam in Contractu, *Certum Placitum*. Hinc notanter in d. l. partes convenire jubentur in idem placitum, h. e. verum, non falsum, aut diversum.

At in simulatione est falsum, diversum, E. in Contractibus, in quibus, veritas magni æstimatur illa non adhibenda, ferenda. Necessarium enim, inquit Hornejus, *in Philosoph. Mor.* Conversationis requisitum est veritas, quæ in omni re, verbis pariter ac factis debet coli, imo humanæ societatis vinculum ac coagulum est, qua sublata, Contractibus non esset locus, sed auferretur mutuus hominum consensus & amor *Zabnius lib. 1. c. 1. de Mendaciis.*

III. Accedere his quoque debet Justitia, & Honestas. Quia commercia & commutationes injustæ jure naturali prohibentur, quippe quod dicitur, ut in Contractibus & Permutationibus æqualitatem servemus, vetatque ne alterum lædamus; Sed in simulatione non est æqualitas, imo plerumque læsio. E. qui per simulationem tales injustas, inæquales, illicitos vult inducere Contractus,

B

ctus,

ctus, in proximum & jus naturæ graviter peccat, & inepte & illicite iis utitur.

APHOR. 2.

Quod attinet deinde diversum simulationis usum: Nolo hic cum Theologis & Moralistis in arenam descendere, qui admodum scrupulose & anxie disceptare solent; an mendacium ejusque species simulatio, res licita, aut vitium morale sit aut non. Vid. *VVendelin. & Zabn. lib. 1. cap. 49. n. 2. § 3.* Sed potius me illis adjungo, qui simulationes distingvere & pro objecti ratione, illas licitas vel illicitas pronunciare solent. Quatenus vero illa ad Contractus descendit, sciendum, quod in contrahendo vel ex parte una, vel utraque Simulatio committi possit. Si ex una parte; tunc iterum, aut plane frustraneum & fictum celebrare voluit negotium; aut dolosum. Si frustraneum & fictum, tunc nullus dicendus Contractus, quia deficit propositum & animus contrahendi, sed nulla tantum est simulatio, qua falso demonstraverit, ac si vere contrahere voluisset, cum tamen revera non fecerit. In quo casu dum nullus Contractus extiterit, Simulatio huc referri non potest. Cum non entis nullæ sint affectiones seu prædicata; Si dolosum simulando efficere intendit contractum; tunc

tunc dolus aut contractui dedit causam; aut saltem in contractum incidit. Si causam dederit, reddit Contractum ipso jure nullum *L. 7. ff. de dolo, L. 3. ff. pro socio*. Si vero incidit in contractum bonæ fidei, corrigitur per actionem ex contractu in id quod interest, vel per exceptionem doli *d. l. 7.* Quapropter licite adhiberi simulationes in contractibus posse, his præsuppositis fundamentis, & circumstantiis, non ambigo.

I. Si sint negotia quæ non semper aperienda, sed ob necessitatem tegenda sunt. Ut si aliquis periculum aut injuriam sibi aut bonis suis imminentem videret ac pertimesceret; quis quæso illum injuste facturum putet, si quodam simulato facto seu contractu se ab istis salvum redderet; Cum hoc non solum jus naturæ ipsum doceat, sed etiam hanc rem ipsa sacra scriptura confirmet, *Exod. I. 19. sqq.* ubi remunerata à Deo dicitur simulatio obstrictum Ægyptiacarum, dum persuaserint Regi, ac si studiosè & inviolatè promulgatum edictum, quo sibi ad obedientiam illas obligatas volebat, observassent, cum tamen rei ipsa Rex per eas deceptus fuerit. Neque etiam potuit Josua pactum simulatum cum Gibeonitis in initum ac juramento firmatum citra iram Dei revocare. *Jos. IX. v. 19. &*

20. II. Si non sint contra honestatem. III. Nec contra Charitatem proximi. IV. Si vergant in bonum Publicum, & sine offensione Dei & scandalo. V. Denique si ad tuendum jus adhibeantur, contra eum, qui fallaciis utitur. Angelus in *L. si quis 12. ff. de injur. per L. atqui. 19. §. cum me. 3. cum quibus. ff. de negot. gest.* Ludovic. Gometz. ad §. Sed iste de action. n. 31. aliter vero si interponantur seu inferantur contractibus, omnes, impia, illicitæ ac turpes habentur & dicuntur recte.

CAPVT II.

DE

SIMVLATI CONTRACTVS
ET YMOLOGIA HOMONYMIA
ET SYNONYMIA.

I.

Tritum et consuetum cum sit Jctis certam juris materiam tractaturis, primum inscriptum eius ex præscripto veterum Jctorum nomen ab ortu & significato suo explanare pariter ac exhibere. *L. 1. d. J. & J. L. 1. ff. d. R. C.* antequam ad rem ipsam perveniant; pari modo mihi juri operam danti decorum fore puto, si de simulati Contractus nomine,

mine, quamvis adeo obscurum non sit; brevissima apponam; quoniam ex significato nominis; dicentis mens eo melior ac planior apparere solet, teste Celso *L. 7. §. 2. ff. de Suppellect. legat.*

II. Dicitur autem Contractus simulatus à simulando; quod verbum, Latinis idem esse ac aliquid præ se ferre, fingere, seu pro vero fallum ostendere seu tradere, *Laurent. Vall. in errores Anton. Randel. adnotavit p. m. 723.* ita ut Contractui sive alii actui adjectum, illum denotet contractum aut actum, quo tacite aliquid agatur, expressum aliud simuletur. Seu cum in specie aliquis agat causamque justam prætendat, tacite tamen aliquid illicitum agat. *Calvin. Lex. Juris. ad hoc verb.*

III. Homonymiam simulati quod concernit, illud bifariam considerari potest: Generaliter & specialiter. Generaliter, quatenus simulatum sumitur pro omni facto & re simulata, qua aliud præter ejus qualitatem, seu veram ac genuinam speciem, alia fucata ac falsa exhibetur: ut sunt, Poëtarum fabulæ, & pictorum variæ lusoriæ imaginum formæ. Specialiter, quatenus simulatum ad Contractus sive negotia certa, quæ circa Contractus versari solent, referri potest; & quidem iterum in duplici Contractus significato proprio videlicet

delicet & improprio. Proprio talem intelligimus Contractum fictum & imaginarium, quo partes sic agunt, ut nihil fiat. *L. nuda. ff. 55. de Contrab. emt. L. simulata nuptia 30. ff. de ritu nuptiar. L. imaginaria. 16. ff. R. J. Cephal. conf. 325. in princip. Cardinal. Mantic. de tacit. est ambig. convent. lib. 13. tit. 35. n. 2. Franc. Bece. conf. 52. n. 30. Card. Tusch. in verb. Simulatio. concl. 257. improprio I. Cum agitur ut unus Contractus vere celebretur, alius vere simulate concipiatur. *L. 9. C. empti fides: de contrab. empt. & tot. tit. plus valet quod agitur &c. II. Si Contractus vere initur, celeriter tamen iterum dissolvitur. L. 4. §. si ab ignoto ff. de manumiss. Illam generalem igitur acceptionem hic non adeo curamus, hanc specialem & discursui nostro aptiorem suscipimus, Aliam insuper simulationis acceptionem. vid. apud *VVissenbach. Disputat. 21. ad L. 23. ff. de R. J. num. 2.***

IV. Ad ejus Synonymiam ut deveniamus tandem; variis à diversis legibus & Autoribus simulatus contractus effertur nominibus, appellatur enim: falsi tituli figmentum. *L. 7. C. de contrab. empt. it. absolute; Simulatio. rubric. L. 9. C. de contrab. empt. Contractus non verus, seu species sine re. L. si non verum. 15. de donat. inter virum & uxor. L. 3. C.*

L. 3. C. de postuland. Bl. vocat hunc corpus sine anima. in L. 1. C. plus val. & L. ab Anastasio C. mandat. item : Contractum coloratum depictum extrinsecus apparentem, intrinsecus nullam substantiam habentem. Card. Mant. lib. 13. tit. 35. n. 3. Matth. Vvesenb. in Comment. tit. C. plus val. n. 2. Plures ejus alia appellationes nullo negotio ex LL. & Dd. Commentariis, si desiderentur, colligi possunt, ideoque aliis recensendis supersedeo.

CAPVT III.

DEFINITIONEM ET DIVISIONEM SIMVLATI CONTRACTVS

TRACTANS.

I.

Præmissa nominali explicatione consequens est, ut de reali aliquid iusto tradatur ordine. Est autem simulatus Contractus conventio, qua utriusque vel unius contrahentis ficta asseveratione, de negotio aliquo placitum initur.

II. Genus dixi esse Conventionem, quia definitum est Contractus. Contractus autem Genus conventionem esse testatur *Ortolph. Fomann. disp. instit. 19. thes. 4. Gædd. ad l. 19. ff. de Verb. Signif.*

gnif. n. 34. Nam conventionis nomen adeo generale est, inquit *Ulpianus in l. 1. §. 3. ff. de pact.* ad omnia pertinens, de quibus negotii, transigendique causa consentiunt, qui inter se agunt, & *Pedius in d. l.* statuit: Nullum esse contractum, nullam obligationem quæ non habeat in se conventionem, ideoque genuinum & proximum Genus hoc esse, non video quid obstet. Alia verba quæ in proposita descriptione extant, cum nihil obscurum in se contineant; ut diutius in hac explicanda commorer, operæ præteritum esse non duco, d. porro ad Divisionem transeo.

III. Duplicem vero Dd. Contractum faciunt, ita ut alius Contractus simulatus, sit non fraudulentus, alius simulatus & fraudulentus. Non fraudulentus est, quando omni fraude remota, partes vel simplici fictione & quasi in superficie contrahunt, nihilque ex eo valere volunt, aut vere aliquid agere intendunt: Vel vere quidem agunt, sed simulate ob justam & urgentem causam aliud valere cupiunt & inter se conveniunt. Simulatus & fraudulentus est: Ubi fraudulenter inter partes celebratur Contractus, ut vel unus contrahentium ex eo, vel tertius ejus occasione decipiatur. Ut si fiat venditio, donatio in fraudem Creditorum seu filij,

fisci, aut alterius. Ex eo oriuntur Contractus illiciti vel plane invalidi, ob defectum consensus, ex quo omnis contractus dependet substantia; vel liciti ac validi; quando in tali contractus genere, alia contractus causa, consensu partium in aliam causam simulate h. e. fecte, modo legitimo transfertur. Ex hoc fiunt mere illiciti ac fraudulentii propter dolum ac fraudem, quibus nullus valide contractus iniuri potest. *Vid. Farinac. de Falsi. & Simul. quest. 162. num. 3. & num. 43. Franc. Becc. consil. 52. num. 32. & seqq.*

CAPVT IV.

DE

PERSONIS SIMVLATVM
CONTRACTVM INEVNTIBVS.

I.

Definitione & Divisione sic declarata, Causam efficientem horum simulatorum contractuum explicare necesse est; Ad illam autem spectant Personæ tam ad simulandum quam ad contrahendum habites. Quoniam vero simulatio speciem prudentiæ præ se ferat, ac plerumque in perfecta ætate, ac callido & firmo animi iudicio consistat, si-
C mula-

mulatum non inire possunt Contractum & ab eo natura prohibentur. I. Infantes intellectum non habentes §. Pupillus, institui. de inutilib. stipulat. l. 1. ff. verb. obligat. l. 12. ff. adl. Corn. de Sicar. Inde recte Germani de his dicunt: Verstand kömmet vor Jahren nicht.

II. Quod autem Pupillus absque Tutore simulatum Contractum cum alio iniens, ex communi & veriori Dd. sententia naturaliter obligetur, non est, quod dubitem, siquidem id ipsum Molin. de J. & J. tom. 1. disp. 167. Cardin. Lugo, Disp. 221. Sect. 10. Dn. Habn. d. l. lib. de pact. n. 5. l. 1. ff. de novat. in veris Contractibus asserere videntur. Modo Pupillus intelligat quod agat. Contrahens sine tutoris autoritate L. si pupillus. 127. ff. de V. oblig. in fin. l. 25. ff. de Novat. §. 1. l. 14. ff. de obl. & act. l. 13. ff. de Condit. indeb. §. 1. Imo civiliter conveniri potest, in quantum videlicet locupletior factus est. Ulp. in l. 5. ff. de autor. & cons. Tutor. l. 16. princ. de minorib. l. 1. §. 15. ff. deposit. Cæd. de contrah. stipulat. c. 7. n. 236. Treutl. vol. 1. Disp. 6. th. 5. tit. B.

III. II. Nec huc referri debet Furiosus: Der seiner Sinnen gar beraubet. Nam cum hic nullam voluntatem. l. 40. ff. de R. J. nullum sentum. l.

22. §. si maritus ff. solut. matrim. habere dicatur
 sed absentis, & dormientis loco sit. l. 2. §. 3. furiosus
 de Jure Codic. Et Paul. in l. ubi non voce §. 1. sine Tu-
 tore vel Curatore contrahere, multo minus simu-
 lare nequit, nisi furoris intermissionem habeat. l.
 20. §. nec. ff. de testam. l. 9. C. qui testam. fac. possunt.
 Nec differentiam hic facimus inter mente captos,
 die an ihrer Vernunft geschwächet, quorum in-
 dicia & argumenta notavit Mascard. de Probatione
 concl. 502: 826. Et 104. 80. Fatuos simplices albere
 schlechte Leute. Hi omnes, quia neuter illorum
 liberrimam rerum suarum habet potestatem, ad
 contrahendum & simulandum inhabiles sunt, ad-
 eoque consilium Curatorum, si necessitas quaedam
 svadeat, in his efflagitare pariter ac expectare de-
 bent. l. virum. ff. de Curator. furios. Goedd. de con-
 trab. stipulat. c. 7. concl. 7. n. 10.

IV. III. Ebrii, quia nimio vini haustu usu
 rationis privantur, ac ob id furiosis & mente captis
 similes fiant; potius ad contrahendum plane in-
 capaces, quam ad simulandum sagaces sunt dicen-
 di: Quibus adjungendi nimio amore cœcati, quos
 cum Ebriis & furiosis comparare solent Dd. Sicut
 enim Ebrius errat, (error autem excludit consen-
 sum) & nescit quid agat; ita & extreme amans,
 C 2
 qui,

qui, secundum Senecam, vivit in alieno corpore. Ex hoc inquit Schneidewin. *Comment. ad institut. lib. 3. tit. 13. de success. subl. infertur*: Sicut Ebrii & bibuli sunt immemores; ita quoque amatores. Caveat igitur quisque ab amore, qui furori æquiparatur. *in cap. illud quoque 4. junct. gloss. ibi super verb. vehementius. Novell. 721. quibus modis natural. efficitur legit.* Hinc recte de Ebriis dixit Petrus Gregor. *Tholosan. lib. 8. c. 6. de Republ.* Ebrius non tantum in conventibus inutilis, sed etiam in privatis & publicis negotiis. Nam Ebrietas justitiam ignorat; Prudentiam extingvit; Rationem supprimit. Cui accinit acris illa in Ebrios animadversio. *Cap. XXVIII. v. 7. Esa. Sacerdos & Propheta nescientes & furentes pro Ebrietate, absorpti sunt à vino, errarunt in ebrietate; ignorarunt iudicium.* Denique etiam Ebrietas potius operta recludit quam regit, quod tamen simulationi contrariatur; Quippe quæ semper aliud mente recondere, aliud ore promere solet. Simile nunc iudicium ferendum est de amantibus, cum amantes quasi amentes dicantur, nescientes quid agant insaniant. Benedictus Curt. *in arrestis amor.* quique quod cupiunt sciunt, quid sapiant non vident *Mim. Publ. vid. Tiraquell. tract. de poen. temp. caus. 4. n. 3. Cothmann. consil. 15. n. 14.*

V. IV. Porro Prodigus cum quoad administrationem comparetur pupillo. *l. 9. §. 7. ff. de Rebus credit. & Furioso. l. 12. ff. de tutor. & curat. dat. l. 7. §. adeo ff. quibus ex caus. in possess. eat.* Hinc quemadmodum pupillus & furiosus ad contrahendum apti non sunt; ita nec Prodigus, quamvis alias ex asse possit simulare. Nam cum Reipublicæ interfit, ne quis re sua male utatur. *§. final. instit. qui sunt sui vel alien. jur.* bona sua, arte simulat oria in contrahendo alienare ac dissipare ei leges, sane non permittunt. Sed cum tres Prodigorum dantur species: Prima, ejus qui per sententiam declaratus prodigus, eique datus Curator ut Prodigus. *Bald. consil. 391. n. 2. vers. interdum lib. 5.* Secunda. Cum declaratus est quidem prodigus, & bonis ipsi interdictum, sine tamen Curatore, vel cui datus est minus idoneus; vel datus est idoneus, sed nec satisdedit neque juravit aut fecit inventarium. *Bl. d. consil. n. 2. versic. quando est & consil. 260. lib. 2.* Tunc juxta has præpositas duas species, in tantum alienare & contrahere potest; ut nec valeat alienatio aut contractus sive fuerit simulatus; sive verus, quamvis etiam accesserit juramentum prodigi & judicis decretum. *Gædd. de contrab. stipulat. concl. 10. c. 7. n. 134. Borch. de pactis.* Ex ratione

supra adducta, quod Prodigus quoad administrationem alienationemque bonorum, habetur pro pupillo. *Vid. Harprecht. ad §. 2. n. 2. quibus non est promiss. facer. testam. Carpz. Jurisprud. P. 3. constit. 6. defn. 9. n. 3. & P. 2. constit. 15. defn. 37. n. 7.* Tamen tertia quæ adhuc restat species prodigorum: ubi Prodigus quis non declaratus, nec ei interdictum est bonis per judicem; an juxta hanc, Prodigus libere alienare, & cum aliis vere aut simulate contrahere possit, haud negandum esse duco

1. Quia regulariter quisque suæ rei moderator & arbiter est. *l. 21. C. mandati.* in tantum ut quamvis quis universas suas facultates alienet ex eo non intelligatur Prodigus. *l. si totas & l. si liqueat C. de inoffic. donat.*

2. Neque Romanæ leges aliquem prius in prodigorum referunt numerum, eique libertatem alienandi bona adimunt; nisi bonorum interdictio per sententiam judicis ante intercesserit. *l. 6. ff. is cui bonis de V. O.*

VI. Sed quid statuendum? Si Prodigus quidam per sententiam judicis declaratus; aliquem, cui nihil quicquam de hac prodigi declaratione constaret, adiret, eique domum aut fundum proprium ad emendum offerret; aut emptori for-

te

te status controversiam moventi serio asseveraret ;
 se ex consilio Doctoris percipisse ; interdictionem
 bonorum sibi factam tanquam Prodigio non vale-
 re, & sic emptorem huic fictis verbis ad contra-
 hendum inducens, egregie decipiat ? Et respon-
 detur : Non Prodigio ; sed ignorantia & decepto in
 dicto casu subveniendum. Quia alterius igno-
 rantia præteritum facti alieni *l. 3. §. 1. ff. de jur. & fact. ign.*
aliter non prodesse debet. l. 7. §. si duo. l. non so-
lus. de liber. caus. l. ult. ff. quib. ad libert. procl. non
lic. & in damno accepto excusationem meretur. l.
4. 8. & 9. C. d. l. Vvesenb. in paralit. ff. h. r. num. 3.
 Insuper nec decipientibus ; sed deceptis jura opitu-
 lantur. *l. 1. §. verba. & l. si decipienti. ff. ad Sctum*
Vell. l. 2. C. cod. l. 1. ff. quand. act. de pecul. est ann.
Zabn. de mend. lib. 2. c. 73. num. 3. ibique allegat. Dd.

VII. V. Ulterius excludimus ab hoc actu, na-
 tura mutum & surdum simul ; Utpote qui plane
 ignorant, quid Contractus aut Simulatio sit. Ex-
 cipimus autem illos, qui casu ita muti ac turdi facti
 sunt ; modo ratione ac sagacitate non destituti, &
 per literas sua animi sensa declarare, & aliorum vi-
 cissim percipere possint ; præmissis si tales cele-
 brantur Contractus, qui solo mutuo consensu fi-
 unt. *l. 73. pr. ff. de jur. dat. l. 48. de obligat. & act.*

Alias

Alias enim hi striete in stipulationis contractu, ob solennia verba quæ utroque loquente & audiente olim fieri debebant excipiuntur. *l. 1. ff. de V. Obl.* Sed cum hodie amplius stipulationum non usque quaque tanta sit observantia; atque simulatio quoque sine apta & congrua responsione fieri possit; non secus ac pactum, eundemque hæc cum pacto habeant effectum. *Vinn. ad Inst. b. t. §. 1. n. 4.* illos, quia recte pacisci dicuntur. *L. 4. §. ff. de pactis. l. 48. ff. de oblig. & act.* non eximendos esse firmiter concludo.

VIII. Lege nonnullæ etiam certo modo à contrahendo arcentur personæ, veluti sunt. Minor, Servus, Banniti & aliæ. Quibus cum denegatum est Principale scil. contrahere; Accessorium (illum sc. simulatum reddere) non adjudicare possumus. Quod itaque concernit minorem, qualis est: qui nondum annum 25. implevit. *l. 3. ff. §. 3. de Minor.* sciendum: Quod Dd. illum considerent, vel cum Curatore, vel sine Curatore; Si curatore careat; Contrahere & alienare res suas potest libere, salva ei manente restitutione in integrum. *l. 5. C. de in integr. restit.* Si autem Curatorem habet; citra ejus consensum contrahere nequit, & per consequens nec simulatum celebrare con-

contractum, propter inconsultam quam adhuc gerit aetatem, in qua omnis simulationis suspicio cedit. De Servis & Bannitis, non placet multis immorari, d. brevitatis causa, legi possunt: *l. 32. ff. de R. J. §. l. 1. §. 2. de Legat. 3. l. 99. de hered. instit. l. 10. ff. ad l. Jul. de vi publ. it. Ord. Cam. P. 2. tit. 9. §.* *So Jemand*, in qua dicitur quod post declarationem Banni, Bannitorum obligationes, juramentum, actiones, pacta, irrita & prorsus nulla sint. *Vid. Menoch. de presumpt. lib. 2. presumpt. 122. n. 46. in fine §. 99.*

IX. Postremo, Mulier, Rusticus & Miles licet ex contrahentium classe non eximantur; tamen cum plerumque sint hebetioris judicii, ac sæpe minus prudentis, cum iis qui satis excultum literis ac scientia juris instructum tenent intellectum, contractum simulatum reddere non creduntur. Si modo revera constet eos simplices & minus sagaces esse, *Bero. in cap. ad nostram num. 34. de empt. & vendit. Tiraq. de retr. Convent. in presat. num. 34. & seq. Card. Mant. de tacit. & ambig. convent. lib. 8. lit. §. 25.* & Rusticus non frequenter solitus fuerit in civitate versari aut ad nundinas proficisci; Qui singuli, in Contractu usurario & pignoratitio simulare non præsumuntur, & à pœna, non vero à nulli-

D

nulli-

nullitate contractus excusantur. Proinde omnes illi tantum in constituendis contractibus simulatis habiles dici, qui legitime contrahere, alienare, ac tandem suis rebus prudentiam ac sagacitatem adhibere possunt.

X. Descendimus nunc ad simulati contractus CAUSAM IMPULSIVAM; quæ est: Commodum seu Bonum aliquod, quod unus, seu ambo simulate contrahentium; aut ex quadam necessitate; aut insigni malitia ac defraudatione capere ac obtinere intendunt.

Ad illam necessariam Simulationem, omnes licitas & honestas refero causas, ex quibus contrahentes, absque ullo fraudis prætextu ad contrahendum vel promittendum impelluntur, ad evitandum grave aliquod damnum, seu periculum; veluti: si quis contra Tyrannum vel alium Insidiatorem, aut iniquum mandatum, cui aperte ob potentiam ac metum pœnæ resistere non valeat, per ejusmodi simulatos Contractus, emendo, vendendo, locando, mutuando, pignorando, deponendo, cedendo, societatem ineundo &c. bona aut jus suum defenderet;

Per hanc è contra malitiosam simulandi libidinem; intelligo, omnem fraudem & simulationem

nem illicitam, qua unus contrahens alteri, aut ter-
tio, seu utrique contrahentes in fraudem legis, bo-
na alterius acquirunt, vel sua alienant. Hæ simu-
lationes cum contra omnem fidem, honestatem,
ac virtutem, in negotiis adhibentur, non amplius
prudētis Politici nomen merentur, ut loquitur
Clapmar. de arcan. Rer. publicar. lib. 1. c. 6. Sed
vafri, astuti, & nefarii homines sunt; & merito in
jure gravi persequuntur pœna, de quibus infra de
Effectu earum dicitur.

CAPVT V.

DE

MATERIA SEV OBIECTO
SIMVLATOR. CONTRACTVVM.

I.

Hanc absolunt uno verbo: Negotia. Ne-
gotii vocabulum, hic non proprie sumimus,
quatenus *Conan. lib. 7. comment. Jur. Civil. c. 2. id
accommodat, tantum Mercaturis*: Neque accipi-
mus in eo sensu quo in iure nostro denotat litem. *l.
7. error facti. C. de Jur. Et fact. ign.* Sed intelli-
gimus per hoc Contractum omnem & quemvis in
genere, *l. 1. ff. de estimator. l. solent. ff. prescriptis*
D 2 verb.

verb. l. 5. ff. in negotiis R. 7. & quatenus in eò ante vel post, directe aut indirecte simulationes proferruntur & animadvertuntur.

II. Sed cum Natura rerum ita inductum est, ut plura sint Negotia, quam vocabula, *l. 4. ff. præscript. verb.* ideoque de omnibus Negotiis, in quibus homines inter se conveniunt ac agunt, simulatio pro rei ac circumstantiarum qualitate ac necessitate institui potest, modo recta ratio seu Lex non obstat. Obstat vero Lex, si quid turpitudinis sit in pacto vel Contractu simulato. *l. 27. §. 4. ff. de pact.* adeo ut nec iusjurandum turpe pactum corroboret. *l. 7. §. 16. h. t.* Deinde nec contra legum formam fiat; *id. l. 7. §. 7. §. 8.* Et bonos mores. *l. 6. C. de pactis.* talia enim pacta simulata non solum inutilia; Sed pro infectis etiam habentur. *l. 5. C. de ll. l. 1. §. 2. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

III. 1. Fieri itaque possunt simulationes de omnibus rebus, quæ sunt in commercio, & de quibus licite ac legitime homines contrahere non prohibentur. Ita in emptionibus & venditionibus (ut & in aliis contractibus & commerciis) excluduntur; Res divini juris. *l. 4. l. 6. l. 22. l. 62. §. 1. off. de contr. empt.* Res publicæ. *l. 6. l. 22. l. 51. ff. d. tit.* Liber homo. *l. 4. §. 34. §. eod.* It. Res litigiosa. *l.*

2. §

2. *Et ult. C. de rebus litig. Furtivæ. l. 34. §. 3. l. 2. C. de furt.*

2. Exerceri possunt in omnibus Contractibus & quasi contractibus, nominatis & innominatis: in omnibus obligationibus aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. §. 2. *instit. de obligat.* Nam multæ, testante Cicerone ad Brut. hominum sunt voluntates, multiplicesque naturæ, inde etiam ad varios pro lubitu cujusvis casus conformari, atque in hanc atque aliam speciem rei mutari possunt.

IV. Sed hic omnes Contractus & negotia attingere, in iisque varias simulationes ostendere, cum tediousum ac nimis longum foret, placet nonnullas tantum, hac vice, ex nonnullis legibus exempli loco adducere, veluti tales inveniuntur: in donationibus. *l. 8. C. de Donationibus. l. 9. C. de contrab. empt.* ubi de simulato consensu agitur, quod videl. eo, donatio nulla perficiatur, licet aliquis prædia alieno nomine in censum detulerit, evolvatur. Brunnem. *d. l. l. 15. C. de donat. inter vir. & ux.* In emptionibus & venditionibus. *l. 16. ff. de R. J. l. 55. ff. de contrab. empt. l. 10. l. 3. C. de contrab. empt. l. 7. d. i.* In constituendis pignoribus sub prætextu emptionis. *l. 3. C. plus val.* In dotis dationibus cum conventionione depositi. *l. 27. ff. de pos.* In Mutuo.

l. 3. C. de postul. Locationibus. l. 4. C. plus val. l. 46. ff. Locati l. 2. Feud. 9. §. In Pignoribus. *l. 10. C. de distract. pignor.* In Transactionibus. *l. 21. C. de transact.* In Nuptiis. *l. 30. ff. de rit. nupt.* Sic quoque datur Cessio simulata. *l. 22. C. mandat.* quando aliquis creditor vexandi sui debitoris gratia, potentiori obligationem debitoris sub titulo venditionis aut donationis, nullo interveniente prætio aut revera numerato cedit: hæc, quot modis fieri possit, perspicue monstrat sæpe laudatus Brunnem. h. l. apponens varias limitationes, juxta quas licita ac valida subsistere possit cessio.

V. Ut plurimum imprimis occurrunt simulationes in negotiis usurariis: Quippe cum ferme nullus detur contractus aut negotium, quo sub specie liciti alias contractus, fraus usuraria tegi non possit, de quibus prolixè videatur *Honorat. Leonard. de Usur.* ubi diversas secundum Contractuum seriem collegit simulationes, quibus scœnatores sub colore justici ac legitimi Contractus suæ avaritiæ callide quærunt latibula. *ut in cap. ad nostram de empt. & vendit. & cap. illo vos, de pignor. C. in civitate. & cap. consuluit de usur.* Inde fit, ut mutui obligatio ad sortem creditam spectans, neque ob involucra verborum, neque ob pacta illicita ut usuraria

furaria vitietur, sed rei veritas inspiciatur. *l. 1. § 3. C. plus val. l. cum ea. C. de transact. l. 3. C. de contrab. empt. Vid. Gail. obs. 4. num. 6. lib. 2.* ita ut licet id, quod simulate apparenter conceptum est, non subsistat, permanet tamen contractus qui vere gestus est. *Salyc. in l. emptione num. 5. C. Plus val.* Ac locum præprimis hæc sententia obtinet, cum contractus qui vere agitur licitus est, ac validus.

VI. Sic in mutuo; quod ab initio usurarium non est, dum à creditore debitori gratuito pecunia credita, ut tantum illa iterum restituatur, post aliquot dies, usura per stipulationem ex mora debitoris accedere potest. *l. si qui 4. ff. si cert. petat. l. si ventui §. in boni ff. de privileg. credit. l. qui sine ff. de negot. gest.* quando is mutata priori sententia, ex retentione pecuniæ creditæ, & mora solvendi, usuras illicitas extorquet, quæ tamen indistincte jure Pontificio abrogatæ, uti constat ex *Clement. & Molin. disput. 304. n. 17.* Multo magis autem id facilius expediunt, si occulte sub specie alterius contractus veluti emptionis, societatis & similium ejusmodi improbum agitant scænis, in quibus tamen negotiis ut sæpius dictum, magis quod vere quam quod simulate actum inspiciendum ex ante cit. *l. ultim. C. que res pign. oblig. poss. l. 1. § 2. C. plus val. § l. non Figura, ff. de obl. & act.*

VII.

VII. Pari modo sub nomine depositi mutuum cum fœnore contrahitur, quando conveniunt, ut tantundem reddatur, & aliquid ultra sortem, si deposita pecunia non restituatur. *l. si ventri. §. in bonis. ff. de privil. Credit.*

VIII. Ita interdum quoque fœnus sub nomine societatis exercetur, videl. Si aliquis pecuniam dat Mercatori, ea lege, ut nullum periculum habeat, & certum lucrum vel partem lucri percipiat. Tali enim modo mutuum intelligitur Contractum, non societatis negotium; quia dare pecuniam, ut restituatur in suo genere, mutuum est. *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 15. mutui. ff. de obl. & act.* Ea autem dare lege, ut aliquid recipiatur ultra sortem, usura est, quocunque nomine Contractus nuncupetur. *Cap. plerique. 14. quest. 3. vid. Covarruv. variar. lib. 3. c. 2. n. 3. Felic. de Societ. c. 18. num. 6.*

IX. Porro sub Locationis & Conductionis nomine fœnus absconditur: veluti si quis conducat prædium vilius, ob festinatam pensionis solutionem: uti differit *Molin. disputat. sor. num. 6. Navar. in comment. de usur. num. 26. & seqq. Ugolin. de Usur. c. 54.* Nam iterum hic est mutuum Contractum, & creditor seu conductor aufert, quod iusta

justæ pensioni deest, invicem usurarium, & tanquam præmium prærogatæ pensionis, ubi *Navarr. d. l. num. 24.* addicit: Obnixè rogandum esse Deum pro illis conductoribus, qui redditus vel vectigalia Principum, Comitum, Baronum, Civitatum, quos necessitas æris alieni premit, vilius conducunt, quam justa pensio, ob prærogatam pensionem duorum vel trium annorum. Et contra si Locator ob dilationem solutionis, carius prædium locet, quam ut justa ejus est pensio. *Iidem Navarr. & Ugol. d. l.*: Rursus sub tegmine Locationis & Conductionis usura fovetur: si forte Contractui Mutuum ex parte Locatoris aut Conductoris accedat, & hujus intuitu Pensio major vel minor constituta sit: Ut si Domus, cujus solita, & justa pensio est 20. Locetur 30; ex eo quod Locator, det Conductor centum mutuo, solvenda in fine Locationis, & vice versa. *Honorat. Leotard. de Usur. quæst. 8. Mastril. in decis. 106. n. 16.* Pari ratione hoc procedit in mercibus quæ carius ob dilatam solutionem venduntur.

X. Præterea sub nomine Emptionis & dationis in solutum, quæ vicem emptionis obtinet, sæpe agitatur scœnus: cum scil. simulate emptio seu in solutum datio concipitur, & vere contrahitur pignus,

E

gnus,

gnus, ut interim creditor fructus percipiat in vicem
 usurarum, *cap. ad nostram. de empt. & vendit. c. illo
 vos. de pignor. l. 3. C. pho. val.*

XI. Ulterius sub specie & tegumento Cam-
 biorum frequentissime occultatur fœnus : de quo
 graviter conquestus est Alciatus *l. 121. ff. de verb.
 sign.* dicens : præstare leges civiles observari, quæ
 certum modum fœnerantibus constituunt, quem
 permittere ut Cambii nomine, vel alio ficto titulo
 debitores opprimantur. An autem centesimæ u-
 suræ, quæ in cambiis ad exemplum nautici fœneris
 exiguntur, cum Alciato & aliis plane improbandæ
 & execrandæ : paulo durius quam verius esse ab
 his dictum cum aliis puto. Est enim hoc commer-
 cii genus modo fraus absit & vere pecunia trajicia-
 tur, licitum & Reipublicæ Necessarium, uti docet
*Petrus Gregor. de usur. lib. 2. cap. 2. ut & nonnulli
 Theologi, qui hanc juris attigere materiam.*

XII. Tandem sub nomine Legati fœneris
 exercitium dari posse traditur : Cum scilicet is, cui
 quantitas legata est ; cum potest ab herede pecu-
 niam petere & exigere, ejus exactionem differt, &
 ob dilationem solutionis redditum annuum ab he-
 rede percipit. *Menoch. in cons. 441. n. 118.* Vide-
 tur enim ac fingitur, tacite summam illam heredi
 mutuo

mutuo datam sub fœnore à Legatario juxta *l. 3. §. 11. ad Scium Maced. l. 15. ff. si certum pet.* Unde etiam Surdus inquit *in conf. 162. n. 37.* generaliter receptum esse, debitum ex quacunque causa & contractu in mutui causam posse converti.

His & in aliis pluribus negotiis usuræ vafre supprimuntur, ne in honestorum virorum statim perveniant notitiam; sed eo securius & liberius beluinam & horrendam in corradendis divitiis avaritiam fovere ac agitare possint. Cœterum pauca hæc etiam de contractibus usurariis exempla eorumque dissimulatione producta satis sunt: Reliqua quæ de simulatione in negotiis aliis occurrente notanda veniunt, videbimus infra de effectu simulati Contractus, ubi de pœnis simulationum quædam adjecimus.

CAPVT VI.

DE

FORMA SIMVLATI
CONTRACTVS.

I.

Quoniam vero Forma dat esse rei: *Cap. tua nos 26. X. de sponsal.* eaque non observata,
E 2
ipla

ipsa res totusque corruat actus ; *arg. l. 8. §. 5. praetor. de transact. cap. cum dilecta 22. de rescript. ita nec ullus recte dici ac dari potest simulatus contractus, nisi ei simulatio accedat, à qua formale ac genuinum suum sortitur nomen & à cæteris veris contractibus contra distingvitur.*

II. Est vero Forma placiti alicujus vere aut ficte concepti occultatio, quæ ob certam aliquam causam licitam vel illicitam in tractandis negotiis mente unius vel utriusque sustinetur, & in certum contractus veri aut ficti speciem inducitur ; ne illud placitum ab iis, qui hoc impedire ac rejicere possent cognoscatur. Hinc etiam tales simulationes mente dependere. *l. ult. Cod. de reb. litigios. §. 2. l. 1. §. 2. de dol. mal.* Solique Deo cognitae esse. *gloss. l. 2. de interrogat. act.* recte dicuntur. v. gr. Quando Partes externe quidem Contractum Emptionis, Locati, Pignoris &c. conficiunt ; Aliud vero placitum sub his callide occultant, ideoque pertinent huc certæ simulationis in contractibus usitatae species, quas ordine enarravit Farinac. *quest. 102. num. 5. de fals. & simul. Baln. l. 3. C. si cert. pet.* quales sunt : 1. Si unus agitur contractus, sed in veritate agitur ut nihil valeat. 2. Quando singulariter celebratur contractus, agiturque inter partes, ut valeat

valeat ut alius contractus. 3. Quando conficitur unus contractus sed agitur ut modico tempore duret. 4. Quando celebratur contractus prae-textu alterius. Quorum exempla extare ibidem meminit apud *Anton. Canar. in tract. de Execut. instr. n. 27.* Præterea necesse est, ut adsit etiam causa statim in principio simulate celebrati contractus, cur scilicet talem actum imaginarium vel fictum celebrare voluerint; alias credibile non est contrahentes sine causa, voluisse actum imaginarium nullum & evasorium facere. *Cardin. Mantica. de tac. & ambig. convent. lib. 8. tit. 25. n. 34.* Denique ad hanc formam contrahentium pacta, quæ causam contractibus dederunt sunt referenda. *l. cum te C. de pact. inter empt. & vendit. vid. etiam Prosper. Far. de simul. & fals. quest. 62. n. 179.* ubi de pactis agit inæqualibus, ex iisque simulationem arguit.

III. Similiter hi simulati Contractus, 1. inter duabus plures possunt celebrari personas. 2. Scriptura aut sermone. *argum. l. 6. ff. de contrab. empt.* 3. In iudicio *l. 2.* & extra iudicium. *l. 1. 3. 4. 5. C. plus val.* 4. Libero contrahentium arbitrio; vel de persona in personam. *l. 2. & 4. d. t. l. 5. ff. de Tutor. de contractu in contractum. l. 3. & 5. plus val. l. 10. C. distract. pign. sive de re in rem: ut cum pecunia*

E 3 data

data de frumento est scriptum. *l. 7. mutui. ff. de Sen. Conf. Maced.* vel de modo in modum, h. e. quando pure conventum, & sub conditione gestum narretur. *Scotan. ad ff. b. t. & Valasc. Tom. 8. consult. 154. n. 4. 5. 6. 7. usque ad 9.* adhuc plures alios modos simulandi ab uno ad aliud recenset.

CAPVT VII.

DE

FINE ET EFFECTV.

I.

Restat denique ut quædam porro de fine & effectu simulatorum contractuum differamus. Nam plurimum refert in omni genere, in omnibus negotiis nosse finem, cujus gratia omnia fiunt, teste Aristotel. *1. Ethic. c. 6.*

II. Atque hic pro Intentione contrahentium erit Bonus vel Malus :

Bonus est animi acquiescentia seu tranquillitas, quam ex toto simulandi actu, exigentibus necessitatibus quibusdam ambo contrahentes accipiunt, aut unus horum, alteri propter honestum alterius commodum ex pio amore conciliat, ac eo ipso salutem & utilitatem quærit ac promouet. Si quidem

quidem in rebus adversis, quæ vitam, & bona (quibus vitam sustentamus) affligere solent, adeo misere plerumque animus vexatur hominis, ut nisi prudenti ac recto consilio in tantis fortunæ angustiis bene & mature sibi prospiciat, vix eas tolerare & à luctuosis desperationibus aliisque nocuentis se liberare possit; nisi tandem remedio tali animi fortunæque vulnus, quod ex direptione & damnosa alienatione bonorum contractum, auferatur, ut tranquillam postea sic transigat vitam. Nam homini nihil magis optandum, quam prospera; æquabilis perpetuæque fortuna secundo vitæ, sine dolore, sine ulla offensione cursu, *docente Cicerone ad Quirites post reditum.*

Bonus idem est; naturalis illa rerum ac bonorum conservatio & defensio. Etenim non minor est virtus, quam quærere parta tueri; juri que natura maxime congruum, quod eo ducti, à rebus suis periculum vim & injuriam omnem inculpate propellant. *l. 5. ff. de F. & F. l. 4. & l. 45. ff. ad l. aquil.* tale jus si nunc absque simulatione quadam, aliter conservari aut tueri non possit, quis licite simulatum contractum eo in casu celebrari posse unquam negabit? Expedi insuper etiam Reipubl. Si Cives in ea sint divites ac sagaces; Ne igitur ex
præ-

præsumpto aliquo, & ab aliis causato in commo-
do & periculo, damnum aut egestatem patiantur,
jure in hac re eorum laudanda est sagacitas, qua om-
ne damnum aut periculum à rebus suis avertere
student, eo quod jure naturæ æquum est neminem
cum alterius damno & injuria fieri locupletio-
rem. *l. 206. R. 7.*

III. Malus simulandi finis in contrahendo
adhibitus est, Cupiditatis prævæ ac immoderatae
aliorum diripiendi facultates adimpletio, quippe
cum ejusmodi hominis tanta sit avaritia & alieno-
rum bonorum infræna concupiscentia, ut is dicen-
te Augustino: *velut infernus sit, devorans omnia,
vellens nullum hominem esse, d. ut omnia solus possi-
deret.* Inde tot occultas struit machinationes, tan-
tis allicit homines ad contrahendum lenociniis nec
prius ab inordinato & pestifero inhiandi appetitu
desistit: Donec aliquam partem aut ferme omnia
ejus bona, ad se traxerit vel ad summam denique
redigerit paupertatem. Ab hoc parum quoque
differt invidus, qui iniquo semper alterius fortu-
nam fert animo, ut si forte commodum ex reali-
qua ad quempiam redundare videat, mox quavis
fraude omnibusque viribus illud alteri eripere ei-
que nocere intendit. Malus finis etiam est, inju-
sta

ita ac illicita divitiarum & amplissimarum facultatum cum aliorum damno per callidas & simulate conventiones acquisitio. Nam cum perversi illi bonorum insidiatores, licitis modis se plane, vel difficulter ad opes non pervenuros animadvertunt clandestinis actibus & argutiis tandem eas parare nituntur; aut aliis molestias, suis creant simulationibus. Verum enim vero cum semper in contractibus (ut nonnulli legunt) non solum quid liceat, sed quid honestum considerandum sit. *l. 197. R. f.* atque alteri per alterum non debeat inferri iniqua conditio. *l. 74. R. f.* & præterea bona fides in contractibus requiratur. *l. 13. ff. de pos. l. 4. ff. de obligat. & act.* Indubitate inde concludimus, malam talium contrahentium intentionem juste reprobendam gravibusque pœnis vindicandam; Bonam vero ob justam causam, & pro rei necessitate, admittendam ac laudandam esse.

IV. Ex his nunc luce meridiana clarius liquet, quid de Effectu demum horum diversa qualitate simulatorum contractuum affirmandum sit: Nimirum si urgente necessitate, ob honestam ac justam causam sine fraude simulate contractus quidam est celebratus; deficiente fraude ac dolo, is non modo licitus & quasi non simulatus, verum

F

etiam

etiam in id de quo partes consenserunt, obligato-
rius censetur; ita, ut si à placiti fine una pars reces-
serit, ad similitudinem verorum contractuum.
Exceptionem *l. 44. ff. de contract. & actionem suæ*
speciei. l. 1. §. 3. de act. captiv. personalem. §. 1. Inst.
ad adimplendam Contractus fidem oriatur. *l. qui*
tibi 6. C. de hered. & act. vend. Voluntates enim
legitime contrahentium omnimodo conservande
sunt. *l. penult. C. pro soc.* Verum cum diversas su-
pra simulatorum contractuum species esse dixi-
mus, sciendum hic bene est; Hanc obligationem,
eaque quæ ex hac profluunt, non ad contractum si-
mulationis mere fictitium, quo partes nihil agere
intendunt pertinere, quoniam talis Contractus
ipso jure nullus dicitur, *l. 12. ff. de aqu. plu. arc. l. 9.*
ff. d. R. J. l. 54. ff. de obl. & act. Sed ad illum ubi
vere partes certum ineunt contractum, alium vero
simulant, vel unum in alium transferunt, uti sentit
Bald. l. 3. si ex pralio C. si cent. pet.

V. Sic v. gr. Si Magistratus alicujus loci ex
invido & avaro civium quorundam instinctu re-
scriptum dedisset, ut Peregrini bona quædam in
territorio istius Magistratus habentes, subditis suis
ea deberent vendere, eo ut grandio rem ac locuple-
torem questum cives istius loci inde acciperent,
pere-

peregrini vero videntes, ea bona commode non posse alienare, sed potius è re sua esse eorum possessionem conservari, hoc modo contra inique promulgatum rescriptum sibi consulerent, simulatam cum Cive venditionem scriptis celebrando, vere tamen Locationis & Conductionis contractum subintelligendo, ut ea conditione recte hæc servare damnumque emergens vitare possint.

Hic Contractus simulatus: Quia 1. (Rescripta nulli debent esse damnosa, *l. ex facto de vulgar. & pupill. l. nec avus. C. de emancip. liber. l. super eo ff. de offic. deleg.*

2. Nemo regulariter invitus cogi possit ad vendendum, quia vis & metus consensum excludit: *l. nihil consensui. ff. de R. J. l. invitum. C. de contrab. stipul. l. nec emere C. de jure delib.*

3. Juri naturæ æquum, se suaque defendere; licitus, ut & alii huic similes justis ac validi merito judicandi, ac tolerandi sunt.

VI. Contra vero quoties in fraudem ipsius contrahentis, tertii, aut filii imo legis aliquis in contrahendo utitur simulationibus, iisque nequitiam suam celare intendit, certè omnes illi contractus, non tantum, quoad perpetuam prohibitionis causam & unius seu utriusque contrahentis pra-

vum commodum inutiles ac nulli efficiuntur. *Bl. Salycet. & Dd. l. 5. de LL. Schurf.* Verum etiam quoad incommodum & pœnam eorum validi habentur. Obligationemque & actionem producant *l. si in emptione. l. 4. §. 1. de contrab. empt. Bart. in l. post. contract. n. 4. vers. & sic non nequuntur ff. de donat. Ludovic. Gomez. §. item, si qui in fraudem n. 1. Card. Mant. de tacit. & amb. convent. lib. 13. tit. 37. num. n. seq. ult.*

VII. Pœna fraudulosa simulationis in contractibus videtur esse pœna falsi. *l. 15. C. ad l. Cornel. de fals. l. 42. ff. de furtis* circa hanc tamen *Cardin. Tusch. pract. concl. in verb. simulatio concl. 271. n. 1. & seqq.* distinguit, inter simulationem usuram continens, & inter simulationem fraudis. Illam, inquit d. l., intrare pœnam Usuræ, puta illicitæ, & est de jure Justiniano infamia. *l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrogat,* vel secundum *Clar. & Menoch. a. lia* extraordinaria pœna. Hanc scilicet fraudis & doli simulationem in præjudicium fisci vel alterius sustinere, ait, pœnam falsi, quæ, juxta diversitatem casuum, arbitraria à *Dd.* statuitur. *Carpzov. in pract. crim. P. 2. quest. 2. 3. n. 16. usque ad 24.* quia cum diversis modis falsitas committatur, diversæ ejus vicissim sunt impostæ pœnae.

poena. *Clar. in pract. concl. §. falsum. num. 31. in fin. versic. d. quo, quae sit poena falsi.* Nonnunquam vero simulationis certa in nonnullis locis statuta est poena; sic vigore constitutionis Marchiae faciens simulatum contractum, nulla poena afficitur, si libere simulationem fateatur, contra si negaverit 25. florenorum auri poena mulctatur, & plus usque ad valorem quantitatis, sive rei in contractu vel promissione deducta, arbitrio iudicis, ut tradit *Farrin. de fals. & simul. quest. 162. n. 14.*

VIII. Apponemus hic igitur & considerabimus, varia simulationum circa contractus genera, & quae nam praecipue in his accidere solent, ita; ut personas, dolose simulationibus suis in negotiis alios decipientes juxta naturam cujusvis negotii denominamus poenamque iis à legislatoribus decretam annectamus. Falsi itaque plectuntur poena illi: Qui aliud in contrahendo sibi fingunt nomen, quam revera est, seque pro alia supponunt persona. *Gilhaus. in arbor. judic. crim. tit. 26. n. 33. Lymneus in Jure publ. P. 1. 11. num. 58.* Huc pertinent etiam illi, qui se nobiles fingunt, & deinde in quibusvis negotiis alios ludunt, adeo, ut ejus poenae quoque reus sit, qui saltim nudo nomine, sine actu aliquo praesudiciali hoc nomen jactat: *Der sich*

nur für einen Zunker schelten läffet. *Hopping. in tractat. de jure insign.*

IX. Creditores ex blanco debita summa fin-
gentes, si de falsa obligationis confectione convicti
fuerint, infamiam crimenque falsi incurrunt. *l. 1. ff. de his qui notantur infam. l. 23. ff. ad l. Corn. de fals.*

X. Mercatoribus simulationes adeo fami-
liares sunt, ut docente *Claudio Salmasio*, sine iis vix
sacra eorum constare possint, inde factum esse legi-
tur, ut Carthaginenses ab illis separata tenuerint
diversoria, iisque in urbe omnem denegaverint
habitationem, & quidem hi simulant 1. Rem pluris
æquo vendendo. *l. Julian. §. si venditor. ff. de empti-
onibus. l. adiles 38. §. non tantum, de adilit. edict.*

Quo casu in poenam hujus mendacii præsta-
re debent interesse. *Fr. Nig. Cyriac. controvers. fo-
rens. 422. n. 9. §. 15.*

2. Tacite dissimulando rei vendendæ con-
ditionem. Idem *controv. 422. n. 10. æqualis poe-
næ ante dictæ irrogatione. l. ea que 43. in fin. ff. de
contrab. empt. l. Si sterili 22. §. 1. l. quero 40. ff. de a-
ction. empt. l. si post. 9. in fin. ff. de peric. & commod.
rei vend.*

3. Reticendo rei vitia.

4. Fingendo sibi aliud nomen seu signum.
Strach. de Mercator. P. 2. n. 78.

5. Om-

5. Omnium turpissime simulant falliti seu Banco-ruptores; qui, etiamsi sint solvendo, nihilominus consulto fugiunt, & sese cum mercibus occultando facultatibus lapsos simulant, & dolose creditores tali simulatione ad pactiones injustas trahunt ac cogunt. Verum quia eo facto fiunt publici prædones, ac deinde non ex infortunio fortunarum suarum jacturam passi sese plane perditos esse simulant, & per aliquot temporis spacium dormi latitant, donec creditores ad transigendum impellant iisque fraudatis & illufis multo splendidius & audacius ad intermissam negotiationem se accingunt, certe digni isti judicantur, ut summo justitiæ rigore judex persequatur, & ubicunque locorum sint, ad luendam gravissimam dissimulationis ex decreto Caroli V. Imperatoris *anno 1511. & 1540.* lato, pœnam extrahat; quod ipsum & laudabiliter mandato civitatum Hanseaticarum est sancitum & Lubecæ promulgatum, his verbis: *Auf solchem Fall, nach vorhergehender Declaration, über solchen muthwilligen Fallirer und Bankerottirer, nicht allein die Schandglocke geläutet, etc. Sondern als ein Dieb und Falsarius an Leib und Leben gestraffet werden soll. Rempfschildt de Civit. imperial. lib. 2. 4. n. 70.*

XI. Emp-

XI. Emptor extraneus, si in jure Protimiseos seu retractus (ubi propinquorum seu conjunctorum consensus in vendendo requiritur. *l. in C. de contrab. empt. l. 16. ff. de reb. aut. judic. possess.*) ad excludendam, eludentumve approximantem, majorem summam pretii quam revera est, pro Principali & sumptibus solutam simulet; idque tenori contractus ad repellendum & turbandum retrahentem inferi curet: talis fraudulentus simulator, non tantum, ut falsarius, arbitrarie pro dolo ac commissa simulatione punitur, sed etiam in emptionem numeratam pecuniam Fisco attribuendam perdit, & retractor rem retractam gratis, & sine ullis sumptibus, retinet. *Jodoc. Damboud. in pract. crim. civil. C. 2. 6. 5. num. 28. & 29.*

XII. Porro si quis alteri locaret fundum seu domum, eique ejus usum ad 7. l. 8. annos promitteret, tacite autem mente sibi reservaret illum primo seu secundo anno alteri vendere; tunc Conductor Locatorem mentientem potest convenire ad interesse, quod ex re conducta, si ea ad finem locationis usque uti licuisset percipere. *l. si in lege. §. Colon. 4. l. qui in sulam. 30. l. si fundus. 33. ff. locat.* Vid. etiam hujus rei præjudic. apud Carpzov. de mens. Decembr. 1635. P. 2. *Constit. 34. defin. 5.* **Ob
nun**

mit wohl Kauff vor Miethe gehet, und ihr dannenhero das Haus zu räumen schuldig; So seynd ihr doch den Verpachter wegen nicht gehaltenen Contract ad interesse zu belangen befugt, *B. R. B.* Sic Emphyteuta, qui simulat, rem non esse Emphyteuticam, cum tamen revera sit Emphyteutis, propter hanc iplo jure in totum privatur, re Emphyteutica, *Gozad. conf. 86. Pedemont. decis. 29. in princ. Klock. conf. 47. n. 200. tom. 2.*

XIII. Depositarius supprimens ac negans depositum duplicem sustinere debet pœnam: 1. Ut condemnetur in duplum rei apud se depositæ. *§. sed furti 26. Institut. de act. Treulcr. tom. 1. disput. 26. thes. fin. lit. C. l. 10. C. depositi.*

2. Ad infamiam. *l. 1. ff. de his qui notantur infam.* Ratio est, quia est Contractus bonæ fidei, hinc eo gravior plerumque in his constitui solet pœna.

XIV. Socius se socium non esse simulans privatur omnibus beneficiis ex societate prodeuntibus. *l. sed hoc ita §. fraud. ff. de re jud. l. si unus in fin. ff. pro socio.*

XV. Sponsor sciens conditionem, quæ in sponsonem deducta, jam evenisse, nihilo tamen minus simulans, se id ignorare alterum ad sponsonem

nēm dolose adducat. Non tantum exceptione doli mali à petitione rei sponsæ repelli, *l. si qui cum aliter. ff. de verb. oblig. l. dolo. C. de inutil. stipulat. l. 1. ff. de dolo act.* Et consponsori inducto interesse præstare debet *Bart. l. quero. ff. de act. empt.* sed etiam in crimen stellationatus incidit. *Strach. tractat. de sponsion. P. 2. §. item quero.*

XVI. Sponsa quæ per vim viciata fuerit, si illatum stuprum dissimulaverit, matrimonium postea contractum dissolvi nequit, cum mens non casus faciat impudicam. *c. non potest. 23. quest. 5.* Si vero nondum contractum matrimonium, sponsus ad hanc ducendam cogitur. Stuprator vero, & quidem alterius uxoris vir, cœlibem se esse coram puella simulans, atque hoc commento ad stuprum incitiam inducens, illa omnino liberatur à pœna carceris vel temporalis relegationis. *Carpz. quest. 53. P. 2. n. 64. VVesenb. in paratit. ad l. Jul. de adulter. n. 19.* Stuprator vero eo, in casu ultra pœnam ordinariam, de suis bonis deceptæ in dotem quid dare tenetur, aut si id facere détrectet, iudex de stuprantis bonis deceptæ, pro diversitate causarum personarumque qualitate, aliquid constituere debet, quemadmodum hoc adnotavit *Johann. Jacob. Speidel. in addit. ad Besold. Thesaur. pract.*

pract. lit. K. n. 12. Hujus occasione quærere lubet, an sponsalia nobilem se simulantis cum nobili femina contracta, valida iterumque dissolvi possint? Antequam ad certam concludam sententiam, videndum in hoc negotio erit 1. an Consensus feminae fuerit liber, & ex certa deliberata ratione profectus, ita, ut nihil aut parum curet, an futurus maritus nobilis sit persona, nec ne?

2. Approbationem Parentum seu Propinquorum ad hoc petierit.

3. Non obstante lege seu consuetudine consentierit.

4. Neque ad justam ætatem pervenerit *princ. Instit. de nupt.* in qua vis generandi se exserere non possit, quibus præmissis circumstantiis legitimisque requisitis, negativam, ut verissimam & tritissimam, amplector.

Contraria vero si in his acciderint: omnium Juratorum & Politicorum calculo, præsertim si rigor alicujus confirmatæ consuetudinis ac legis adsit, affirmativam teneo. Talis Lex fuit apud Francos, ut is, qui ignobilem uxorem duxisset, eo ipso nobilitatem protinus amitteret. *Salycet. lib. 1. tit.*

14. §. 11. & severiorem consignavit. *Spangenheim. in Spec. Nobilit. P. 1. lib. 7. his verbis: Die Holsteinische*

nische haben auch wie die andern Sachsen hart
drüber gehalten, daß ein Edler kein Gemahl neh-
men mußte, sie wäre denn Edel, oder ward am Le-
ben gestrafft. Magis enim humanum & naturæ
æquum est hominis vitam, dissolutione Sponsali-
orum servare, quam iis servatis illam homini ad-
imere.

XVII. Filius fidejussor in contrahendo se
potestate liberum simulans, actione in solidum
potest conveniri, etiamsi facere non possit, propter
mendacium. *l. 4. §. 1. ff. quod cum eo qui in alien. pot-
est. Accurs. l. 10. ff. de re judic. in mutuo vero amit-
tit exceptionem s^ci Macedon. l. 3. 19. ff. l. 1. C. de
S^cto Macedon. quando vero simulat Patrem esse
mortuum, cum alias regulariter conveniri non pos-
sit executionem contra se latam pati necesse est. Tü-
raquell. in tract. de LL. Connub. n. 136.*

XVIII. Minor se majorem simulans benefi-
cio restitutionis indignus judicatur. *l. 2. tot. tit. C. si
minor. se major. dixer. Nam errantibus non de-
cipientibus jura subveniunt. l. 2. §. fin. l. si sine C. ad
S^ctum Vellej. l. 32. ff. de minor. Limitatur autem
hæc pœna, quando contrahens cum minore ex a-
spectu ejus minorennitatem cognoscere potuerit,
tunc enim scientia contrahentis cum minore om-
nem*

nem dolum & simulationem excludit, aut probetur per testes colligentes atatem ex aspectu. *Bart. Anton. Faber. in C. lib. 4. tit. 14. de fin. 9. n. 1.*

2. Si deficiat quædam in contractu solennitas, ob quam nullitatis argui possit. *Mandel. tract. de etat. minor. quest. 7. n. fin.*

3. Si seipsum deceperit, omni; enim tunc cedere putatur calliditas.

XIX. Qui simulate se heredem esse dicit, cum non sit; condemnatur ob poenam simulationis ut hæres. *Bart. & alii. l. filius. 12. ff. de interrog. act. Tusc. Mysing. & tenetur ratum habere defuncti gestum a factum. Tiraq. de retract. obligaturque per contractum à defuncto initum aut ad quemvis alium adimplendum, quem simulate in se suscepit tenetur; Nihil tamen sibi acquirit per transactionem hereditariam; sed vero heredi. l. si quid possessor. §. final. ff. de petit. hered. qui repetit debitum exactum ab eo, qui se heredem simulavit, nisi de alia re transegerit, quæ res hereditaria non fuerit. *Marescott. variar. resolut. c. 17. num. 2. & 6.**

Similiter si non heredem, cum tamen sit, simulaverit, aut nulla legata relicta Ecclesiæ vel aliis locis extrajudicialiter fidei asseruerit, ad duplum legati conveniri potest. *§. non furti. instit. de act. Schnei-*

obscip

G 3

devv.

devo. instit. de act. §. ex maleficiis. num. 2. Excusatur autem à pœna hac, si non dolo aut errore fecerit. *arg. l. aliud est fraus. ff. de V. S. 2.* Si pœniteat & legatum ante litis contestationem revocet. *l. electio. 26. ff. de noxal. act. Schneidew. d. l. 3.* Si Legata non Relictæ, Reipubl. & Filco. *Angelus §. in malefic. Instit. de act.* Egregie etiam hac simulatione decipitur, pecuniamque solutam perdit is, qui velut heres expensas pro luitione hereditariarum rerum solvit, atque pro coloranda hac simulatione inventarium conficere incipit. *Alex. in l. scimus. §. in computat. C. de jure deliberand.*

XX. Oppignorans, se oppignorare rem liberam cum simulet, si inveniatur alteri obligatam: punitur crimine stellationatus. *Alex. Bartol. in l. duobus. ff. ad l. Cornel. de fals. Azo. in summul. ad l. Cornel. de fals.* Cessat tamen hæc simulationis pœna, si pignus ad utrumque est sufficiens sub eadem obligatione. *Papiens. in form. libell. in act. hypothec.*

2. Si ante litis contestationem offerat secundo creditori pro illius revelatione. *Farinac. Crim. quest. 150. n. 22. §. 226.*

XXI. Inquisitor simulate officium inquisitionis exercens, eoque aliquem terrenis variis afficitur pœnis, ita, ut aliquando virgis cædatur, aliquando

quando ad triremes damnetur, aut alio modo
coerceatur. *Menoch. arbitr. judic. lib. 2. centur. 4. c.*
320. n. 1.

Ratio pœnarum illarum gravissimarum est
periculum famæ, imo & ipsius vitæ. Interim hoc
loco movenda erit quæstio: An judex ad eru-
endam veritatem simulare possit, se nimirum id fa-
cturum quod revera non intendit? Et respondent
Dd. quod possit exemplo Salomonis *1. Reg. III. v.*
24. & 25. Anton. Gometz. variar. resolut. tom. 3.
c. 13. n. 4. Modo simulationes talesque fictiones
non sint deceptoræ aut violentæ, sed ad finem or-
dinatæ ac jure non prohibitæ. *Farinac. P. 3. Crimin.*
quest. 81. n. 313. alias nihil admittendum est, quod
pro obtinenda veritate contra æquitatem & justiti-
am currat, & per quod illicitum committatur, id-
eoque si in contrarium judices in tali negotio tam
arduo & periculoso, ubi non de capitibus papaver-
um sed hominum agitur, faciant, acriter vitupe-
randi & detestandi sunt, *Farinac. d. l. Carpzov. in*
pract. crim. P. 3. quest. 113. num. 37. & 38.

XXII. Non vèro simulate salvum condu-
ctum videtur promisisse judex reo, si ante criminis
confessionem ipsi securitatem concessit, postea ve-
ro si fuerit convictus crimenque confessus in carce-
rem

rem ad poenam usque conjici curet. Limitat tamen hanc assertionem *Zabnius lib. 2. c. 47. num. 5.* discrimen faciens inter saluum conductum conditionatum, zu Rechte und vor unrechter Gewalt, & inter saluum conductum concessum simpliciter & illimitatum, priori modo judicem non peccare dicit, licet promissam securitatem crimine confessio reo servare non possit, quia ut sapiens facit, quod facere debet, & quod Deo & Reipubl. placeat, ne scil. delicta maneant impunita; posteriori vero modo, non permissum, reum fallere.

1. Quod hæc concessa securitas in speciem Contractus transeat, quo judex efficaciter obligatur, *arg. l. 1. ff. de pactis. l. 1. ff. de constit. pecun.*

2. Quod reus se commiserit nude fidei judicis, sub qua nemo debeat decipi. *arg. l. 1. C. pro venia etat. impetr. l. si ventri. 24. ff. de reb. auctor. jud. poss.*

3. Quod sic nulla salvi conductus esset utilitas, & nihilominus jure communi nemini vis & injuria inferri debeat. Dissentit ab hoc *Herculan. tract. de non offend. Coler. Process. Executiv. P. 1. c. 4. num. 167.*

XXIII. Promissor, seu Fidejussor ambigua responsione se pro debitore soluturum coram stipula-

pulatore simulans, si ad interrogationem sic formatam: *Wolt ihr vor meinen Schuldenen stehen?* coram debitore stans; respondeat: *Ja ich stehe vor ihm:* eaque creditorem decipiat, enormiterque lædat: *Iste fraudulosus fidejussor,* non tantum beneficio excussionis in principalem si forte non solvendo sit, ad realem prætii refusionem. *Nov. 4. c. 1. l. 10. ff. de fidejuss. Schneidew. instit. de fidej. §. si plures.* Jure privari & cogi, verum etiam ad præstandum omne interesse ac pœnam doli condemnari potest. Nam expeditissimi juris est, ac commodissimum in oratione ambigua id accipi, quo res de qua actum, magis valeat quam pereat. *l. 12. ff. de reb. dub.* Alia plura ac infinita fere negotia hic potuissem ulterius proferre in quibus licitæ ac illicitæ simulationes, pro rerum ac circumstantiarum varietate & qualitate, ut & ex contrahentium examinata intentione videri queant; Verum cum partim ex quotidiano usu, partim ex diversorum Jctorum amplissimorum voluminibus hinc inde pateant, brevitatis studio, illas prætereo, & ad ipsorum demum actionem & probationem me converto.

H

CAP.

CAPVT VIII.

DE

ACTIONIBVS.

I.

Quoties igitur duo aut plures persone sibi inuicem ad dandum vel faciendum aut præstandum aliquid se obstringunt, obligatio statim tunc ex eo oritur, contra quam si una vel altera pars quicquam fecerit, nullo alio postea jus sive debitum ex hac quæsitum remedio obtinere, partemque aduersam ad seruandam fidem compellere potest, quam per actionem cuius diuerse mater obligatio recte dicitur. *l. licet. 42. §. ea obligat. ff. de procurator.* Sunt enim obligationes inventæ propter iudicia & actiones, ut alter ab altero debitum suum exigere possit. *l. s. ff. de Inst. & ff. princ. Instit. de obligat.* qua non producta, ulla nec erit actio. *l. sub hac 8 ff. de obl. & act.* Prout itaque erit species contractus, cui simulatio adjecta fuerit, talis etiam pro negotii qualitate erit actio. Fundamentum huius asserti est; quod accessorium naturam sui amet principalis, illud vero cum sit obligatio ex certo simulate inito contractu, etiam æqualis existere necessario debet actio. Inde non dubitandum esse

esse puto, si v. gr. Titius cum Sempronio ad bonorum conservationem, uti supra in §. 5. c. 6. dictum; externe simulatam quandam celebraret venditionem tacite vero ejus ratihabitione, seu consensu vera Locationis & conductionis contractum sub ea intelligerent ac celarent. Sempronius vero simulatus emptor, aut verus conductor certo temporis spacio elapso, Titio Locatori mercedem annuam bonorum non solvens, producto instrumento dicat: se bona non locationis & conductionis, sed emptionis & venditionis titulo, possidere, & propterea nihil quicquam de his ad eum pertinere; quin contra hunc fraudulosum, & à placiti fine recedentem Sempronium, actionem Locati directam, contra Sempronium Conductorem ejusve heredes movere. §. final. instit. de Locat. & Cond. l. 99. ff. & 10. C. d. t. eique exceptionem simulatae venditionis in judicio opponere, mercedemque promissam justo tempore cum usuris, si in mora fuerit, l. 58. ff. Locat. l. 17. C. damnique restitutionem petere ac exigere possit.

II. Imprimis vero multo magis agenti contemplari incumbit, num ex simulare confecto contractu ipsi vere dari aut competere possit actio, nec ne? Nam si prorsus simulatus est Contractus, ut

H 2

nihil

nihil revera in illo actum fuerit, nullam tunc ei inesse poterit vinculum. *l. 45. ff. de obligat. & act.* nec ulla per consequens actio; sed sunt simulati illi Contractus, tantummodo nudæ & imaginariæ conventiones & cautiones inanes, quæ pro non factis habentur. *l. nuda. ff. de contrab. empt. l. 76. d. R. f. l. 30. de ritu nupt. l. 46. ff. locat.* Unde non inulse nonnulli dicunt Contractus prorsus simulatos esse veluti Æsopi & Fulgentii Fabulas, in quibus scriptura quidem vera est, sed falsa & imaginaria narratio; quia in illis non id agitur, ut validum sit instrumentum vel chirographum, sed ut scribatur duntaxat veri regendi causa dicente Donell. *lib. 35. jur. Civ. c. 5. col. 11.*

III. Secus autem est, si aliud certum negotium sub simulato tegitur contractu, & à partibus vere contrahitur; tunc necesse est, ut iterum ante exacte natura negotiorum exploretur, an per vim & dolum extorta, aut contra leges, aut bonos mores fiant, aut num in aliam liciti contractus speciem transeant. Illo modo irrita sunt ipso jure, vel rescinduntur & revocantur per actiones rescissorias ac restitutorias perinde ac si nihil actum fuisset. *l. 9. §. & hoc edicto. ff. quod metus causa, l. ait prator. §. item, ex quib. causam major. rest. l. 1. de reputat. quæ sunt.*

funt in judic. l. si paternam C. ad SCtum Trebell.
 Talis est contractus usurarius illicitus & injustus,
 quocunque contractus liciti nomine celebratus, a-
 liaque iniquæ ac illicitæ conventiones, quas sub
 involucro alterius Contractus partes agere inten-
 dunt. Veluti, si mulier quæsito colore ex causa
 mutui se obliget, cum vere pro alio fidejubeat, illa
 cum neque ex mutuo tenetur, quia simulatum est,
 neque ex intercessione ob SCtum Vellej. *l. 1. d. tit.*
 ideoque neque pignus sub ea datum subsistere ne-
 quit. Similiter se res habet cum Filiofamilias si-
 mulate alteri agrum vendens quem vere donare in-
 tendit, irrita enim erit evictionis promissio; cum
 nec venditio accedere possit, quæ simulate concep-
 ta. *l. 54. de obligat. Et ad l. 10. C. distr. pignor.* nec
 donatio firma est, quia regulariter Filiusfamilias
 donare non potest. *l. 7. princ. ff. de donat.* Si vero
 liciti sub simulatione inveniuntur à partibus contra-
 ctus, inspicitur id quod vere gestum, & actione ex
 contractu competente alter alterum valide conve-
 nit, quoniam & illud quod vere & occultum a-
 ctum est, servandum nisi aliud obster, docente *Ho-
 norat. Leotard. de usur. quest. 7. n. 21.*

IV. Manet itaque pro diversitate Contra-
 ctuum simulatorum licito vel illicito modo consti-

H 3 tuto-

tutorum actio contractus gesti liciti ordinaria iis, quibus ex contractu tali aliquid deest, aut præstare debet; illiciti vero revocatoria seu restitutoria, omnibus læsis, sive jus suum perdiderint, aut aliter damnium sunt passi, contra eos, qui adversus initam conventionem aut quod contractui adhæret agunt, seu dolum ac fraudem commiserunt, aut aliquid ex contractu perceperint. Sic cum simulata venditio intercesserit, vere celebrato Locationis & conductionis contractu, actio Locati & conducti datur, qua actor petit, id quod ex natura hujus contractus ei debetur; vel si dolus in Contractum bonæ fidei inciderit, corrigitur per actionem id, quod interest, vel per exceptionem doli. *l. 7. ff. de dolo mal.* item, si per contractum simulatum bona in fraudem creditoris alienata. Actio Paulina personalis locum habebit. §. 7. *Instit. de act.* & sic porro in aliis actionum generibus.

V. Hic spectat quoque exceptio simulationis, qua reus seu actor pro rei necessitate se tueri possunt, quæ est perpetua, uti docet Socinus *in l. num. 102. ff. solut. matr.* & ex ipsa contractus natura originem trahit *Ord. Polit. de anno 1612. Tit. Vont Justitien-Sachen. n. 19. §. Dieneil denn dieses. versic. Es hätte denn diese vorgeschuzete Excepti-*

on gleichfalls *ex natura contractus* ihren Ursprung. Addit vero hanc distinctionem Cardinal. Tusch. quod inter iudicem secularem & Ecclesiasticum distingvendum sit, & si coram iudice seculari dijudicanda ac decidenda sit simulatio, per viam actionis præscribi exceptionem hanc post 30. annos, si vero coram iudice Ecclesiastico simulatio in fraudem usurarum ex falsa causa, & dolo inita ac facta, perpetuam esse ait actionem. *Farinac. de fals. & simul. quest. 162. § 16.* Nec quoque renunciatio exceptionis fieri potest. Si ea appareat vere & præsumptive. *Bart. & alii*, quia sicut simulatus contractus ita & renunciatio. *Paulus Christin. super Cod. plus val.* Hinc non obstante, renunciatione exceptionis, licet tamen simulationem allegare & probare: rationem subjicit Magnif. Dn. Præses *in præleç. C. b. t.* quod videlicet non tolerandum sit per hanc renunciationem, simulationem quæ revera subest celare. Porro etiam indubitati juris est exceptionem simulationis opponi posse instrumento Guarentigato, eo effectu, ut impediatur paratam executionem, idem Magnific. Dn. Præses *cit. loc. ibique allegat. Carpz. Proc. Executio. art. 3. n. 25. 26.*

VI. Denique non tollitur exceptio simulationis in Contractu prorsus simulato, si de ea vere vel

vel præsumptive appareat, licet juramentum simpliciter præstitum sit in instrumento. Vid. iterum ante citatus *Magnif. Dn. Struv. d. l. quest. 2.* ubi expresse etiam negat juramentum non firmare simulatum contractum, rationes adducit *Honorat. Leonard. de usur. quest. 4. n. 39.* quia in contractu prorsus simulato nihil agatur, nihil promittatur, nulla denique contrahatur obligatio. Hinc etiam juramentum, ait ille, inane & imaginarium erit. Nam jusjurandum vinculum est, quo utimur ad fidem contrahentium adstringendam, *scribente Tullio lib. x. de offic.* si itaque vere nihil agitur, verum nec est juramentum, insuper & in his prorsus simulatis contractibus deficit Consensus, E. nec verus existere poterit contractus. *l. obligat. subst. ff. de oblig. & act. l. 18. de probat.* neque jusjurandum, quia deest intentio & mens jurandi ad confirmandam obligationem & magis adstringendam fidem; hinc ingeniose de hoc sensit Euripides, licet, inquiring, juret lingua, mens injurata est. Et Ovidius acute de hoc ita cecinit:

*Quæ jurat mens est: nil conjuravimus illa
 Illa fidem dictis addere sola potest
 Consilium prudensque animi sententiæ jurat
 Et nisi judicii vincula nulla valent,*

Sed

*Sed si nil dedimus præter sine pectore vocem
Verba suis frustra viribus orba tenes.*

VII. Postremo notandum, quod in his simulatis contractibus, dum plerumque in Chirographis ac instrumentis paratam executionem habentibus consistant & conficiantur, locum obtineat processus executivus, cujus procedendi modum vide apud Magnif. Dn. Struv. *in privato tradito Collegio Jurisprud. Roman. German. Forens. lib. 4. c. 10. Aph. 2. & late Coler. integr. tract. de process. Executivo.*

CAPVT IX.

DE

SIMVLATORVM CONTRA-
CTVVM PROBATIONIBVS ET
PRAESVPTIONIBVS.

I.

Actionem excipit Probatio & Præsumptio :
Nam prudenter admodum in jure cautum,
ut si actor litem seu controversiam parti in judicio
facere conetur instructus ad agendum veniat, su-
amque intentionem probationibus aut præsump-
tionibus firmet iisque judici fidem faciat ; cum si-

I

ne

ne his frustra proponantur actiones. *l. 4. ff. de edend. nec satis est allegare nisi sequatur probare. l. minor. 6. de praeiis minor.* alioquin jus deficit, si probatio deficiat. *l. duo sunt. 30. de testam. tutel.* Inde saepius fit, ut auctore actionem non probante, reus absolvatur. *d. l. 4. ff. edend. l. ult. de rei vind. c. ult. de iurejur.* Bene igitur haec omnia observet is, qui in contractibus cum aliis confectis simulationem allegare, & cum altero actionem de simulatione instituere sibi proponat, nisi in causa sua succumbere, aliaque pati velit incommoda.

II. Manifestantur simulati contractus vel probationibus vel praesumptionibus, quibus non accedentibus simulatio in dubio non praesumitur, ut communiter omnes fore tradunt Dd. Probantur vero artificialiter vel inartificialiter.

Artificialiter, quando simulationes ex ipsa causa & per argumenta & indicia certa deducuntur. Inartificialiter, quando tales afferuntur simulationum probationes, quae in legum, testium & instrumentorum autoritate consistunt.

III. Praesumuntur certis conjecturis rerum ac personarum pro causarum ac temporum varietate; debent etiam ex arbitrio iudicis sufficientes esse, item urgentes ac perspicuae, non autem leves,

ac

actales, ut non possint aliter accipi, nisi in malam partem. *Menoch. de presumpt. lib. 3. presumpt. 122. n. 5. presumpt. 124. num. 4.* Quanam vero singula sint, & quando probationibus & conjecturis utendum; distingunt Dd. inter simulationem allegatam per tertium, & inter allegatam per contractentem, priori casu, dicunt conjecturis locum esse, posteriori casu probationibus. De quibus vide copiose differentem *Farin. de fals. & simulat. quest. 162. n. 99. & num. 145. usque ad finem*, & præprimis hæc desumuntur ex vicinitate, celeritate actuum, brevitate temporis, clausulis insolitis, inusitatis, pactis inæqualibus, suspectis personis ac fœnerari solitis pluribusque innumeris aliis.

IV. Sic probari solet usurarius Contractus
1. Ex confessione, *cap. per tuas. de probat. l. generaliter. C. de non numer. pecun.*

2. Per testes, qui deponunt, contractum fuisse celebratum in alia forma, quam inter eos actum fuerit. *tot. tit. C. plus val.*

3. Per Codices rationum ipsius fœneratoris dum censura iudicis potest compelli ad exhibendos eos. *Clem. 1. §. ceterum de usur.* quibus deficientibus conjecturæ sive præsumptiones admittuntur. Siquidem fœneratores ut plurimum sic

occulte & dolose contrahunt, ut de usuraria pravit-
tate vix convinci possint. *d. clem. 1. §. cæterum de u-*
sur. ideoque necesse est, ut ex argumentis, præsump-
tionibus contractus usurarius probetur. c. ad no-
stram. de empt. & vendit. c. illo vos. de pignor. & C.
cum in Dicecesi de usur.

V. Sed quot requirantur conjectura; val-
de inter se controvertunt autores: quidam unam;
veluti si in emptione & venditione pactum de re-
trovendendo adjectum fuerit: quidam duas, pa-
ctum scil. de retrovendendo & modicitatem præ-
tium; Plerique tres videl. pactum de retrovenden-
do, modicitatem prætium ac denique consuetudi-
nem foenerandi, sufficientes ac necessarias esse, ex
communi & frequentissima Dd. opinione probare
ac affirmare contendunt, quas tamen repugnantes
Dd. opiniones Cardin. Mantie. tali distinctione
conciliari posse existimat: Aut, inquit, simula-
tio arguitur ex duabus conjecturis ex pacto nimir.
simplici de retrovendendo & modico prætio; &
tunc enormissima subest læsio, ita ut prætium con-
ventum dimidium justiprætium excedat, & ita præti-
um tunc adeo exiguum, ut intellectus judicis non
possit acquiescere, nisi existimet contractum esse
foeneratitium: aut læsio non est enormissima, vel-

uti

uti si prærium conventum est, intra dimidium iusti prærii, vel etiam dimidium attingat, & tunc requiritur, ut pactum retrovendendi, vel extraneum à natura emptionis, vel tertia conjectura, consuetudo scil. fœnerandi demum accedat. *lib. 8. tit. 28. n. 51. § 52. de tacit. & ambig. convent.*

VI. Denique hoc loco quaeritur: An, si de emptione & venditione conscriptum fuerit publicum instrumentum clam & occulte contractus intelligitur celebratus? Et facile quis respondit negative. *ex l. non igitur. ff. de iure fisci;* non id clandestinum dici posse, quod constat ex publico instrumento. *Cap. olim de Verb. Signif.* Verum rectius intelligitur clam & occulte factum, si per Notarium amicum dedita opera & coram testibus domesticis ita factum, ut ad notitiam aliorum pervenire non possit. *Baro. in d. l. non intelligitur §. tacita. in princip. ff. de iure fisci.* Plura de probationibus & præsumptionibus qui desiderat, adeat *Prosper. Farinac. de fals. & simulat. quest. 162. Honorat. Leonard.* & alios late hanc materiam quoad præsumptiones & probationes tractantes.

CAPVT X.
DE
AFFINIBVS.

I.

Simulato instrumento affine est fallum. *l. ult. C. plus val.* Item Callidus Contractus. *l. 5. pupillus. §. 4. in fin. de autorit. Tutor.* Furtivus. *l. 17. C. de rescind. vend. l. 15. ff. de donat. l. 7. §. 2. ff. de bon. damn.* Quando aliquis contrahentium multam fisco debitam aut alia onera personalia vel res, furtim distraxisset ut declinet onera seu debita; quæ si aliter fraudis conscius vendat, rem & præcium amittit. *Brunnem. ad b. l. Fraudulentus Contractus. Tiraq. de retract. convent. in fin. num. 125.* cum eo animo contrahitur, ut alius ex eo vel ejus occasione decipiatur, de quo norandum:

1. Ut in eo locum quoque habeat actio revocatoria, qua contractus infringitur & tanquam contra legem initus rescinditur ipso jure. *l. 1. C. si in fraud. Patr. l. 16. ff. d. t. de Jure Patr.*

2. Illum non possunt allegare qui contraxerunt & fraudis participes extiterunt, quia propriam turpitudinem detegerent, quod nemini licet. *l. 5. C. de Serv. pign. dat.*

3. Fraus

3. Fraus debet probari legitimis præsumptionibus. *l. 2. ff. que in fraud. cred.* alias in dubio non præsumitur. *l. merito ff. pro socio.* facilius vero præsumitur in contractibus quam ultimis voluntatibus. *Bart. pro leg. ex hoc edicto. §. alienare ff. de alien. jud. caus.* Imo in Scripturis privatis frequens. *l. 1. §. edition. l. 2. Et 3. ff. de fide instrum.*

4. Potest juramento confirmari quatenus respicit præjudicium jurantis. *Paul. Castrens. l. contra Legem. ff. de LL.* non vero quatenus aliis noceri potest. *C. cum contingat de jurejur.* nec debet fieri per interpositam personam. *l. 5. ff. si sponsus de donat. int. vir. Et uxor.* aut de contractu in contractum. *d. l. §. circa venditionem.*

II. Affinis porro est Error Scribentis; qui si inciderit in nomine contractus non vitiat ipsum contractum, si ex aliis verbis apparet, quæ sit ejus species. *Bart. Zas. l. insulam de præscript. verb. l. si in nomine C. de testam.* Nec subscriptio quoque erronea vel sigillatio subscribenti seu sigillanti præjudicat, si instrumentum seu scripturam antea non perlegerit. *l. 5. C. plus val.* quod etiam procedit, si non intellexerit scripta, tunc sine his signatura vel sigillatio nullius est momenti. *VVesenb. §. qui jussu Instit. qui cum eo qui in alien. potest. num. 6. l. 2. de reb.*

*reb. alien. & non alien. Paul. Cbristin. decis. 30. tit.
27. num. 10. & 11.*

CAPVT XI. ET VLTIMVM.

DE

CONTRARIIS.

I.

Simulatis negotiis, quibus variis modis homines licite ac illicite quicquam nonnunquam occultare solent, levi discursu nunc propositis ac delibatis. Ad contraria eorum, quæ ad suscepti discursus complementum supersunt devenio. Quorum I. Est Honestas animi. *l. 5. ff. §. 4. de auct. & consensu Tutor.* in verbis: *ut solent honestiores,* nihil enim iustitiæ ac honestati magis congruum, quam curare ne dilectionem proximi offendamus, aut iustitiam violemus in contrahendo: Hinc in contrahentis negotiis honesti viri, omne falsum ac perniciose fictum respuunt, & unice illud, quod decorum & honestum peragere contendunt: quoniam id dicimur posse, quod honestum est. *in cap. fin. de rescript. in 6. in c. faciat homo. 12. quest. 2. nec ea nos facere credendum, quæ contra bonos mores fiunt, aut pietatem, existimationem, verecundiam*

diam nostram lædunt. *l. filius qui furt. ff. de condit. inst. & in l. Nepos procul. ff. de V. Signif.*

II. Simulationi contrariatur Fides, quæ cum juxta Tull. offic. 1. *Sit dictorum conventorumque constantia, & veritas l. 1. C. plus val.* Simul in uno subjecto non consistere possunt. *l. 13. §. utrum ita l. ff. de reb. dub. l. mutius 30. pro socio. l. 188. R. J.* sed alterutro posito alterum necessario removetur. *l. 12. & 15. de Except. rei jud. l. hæc verba. 124. de V. S.* Et cum in simulato nihil diuturnum, Fides vero constans, & appellata quod fiat, ergo inter se non unienda sed disjungenda omnino sunt.

III. Simulatum contractum tollit ipsa actus veritas, seu rei evidentia, de qua si constat omnis simulationis præsumptio excluditur. *Bald. in l. & 9. 10. n. 3. C. de distract. pignor. Capus de accusat. c. 61. §. porro de appellationibus.* Veritas enim justitiæ comes est, nec commentis & erroribus gestorum vitiatur, sed semper ei locus in judiciis esse debet. *l. penult. in fin. ff. de probat. & l. illicitas. §. veritas. ff. de offic. præsid.* Emergit autem ista ex cujusvis contractus natura & nervosa judicis contemplatione ac prudenti inquisitione, quo peracto, nulla tam vafre & occulte res transigi potest, quin tandem temporis successu vestigia fraudem indi-

K

cantia

cantia non appareant, juxta vulgare illud: veritas interdum quidem premitur, sed non opprimitur: Es wird nicht so klein gesponnen, es kömmt doch endlich an die Sonnen.

Atque hæc nunc sufficiant, L.C. quæ per disputationem præsentem de simulatis contractibus incomptis rebus ac literis perstringere volui: Non equidem ignarus, quod multa politiora & subtiliora à Doctioribus huc deduci & ventilari potuissent; tamen cum ad id potius adspirandum, quam in tanta adhuc judicii mei caligine & immaturitate præstandum animus fuerit, feci hac vice quod potui: Non dubitans, quin humanæ sortis memor humanum de meo errore, tua humanitate dextre judicaturus sis. Tribuens tandem

SOLI DEO GLORIA.



Man

Man bat, zu Erfüllung des Platzes, so viel derselbe
vergönnen will, (Tit.) denen Herren Liebhabern mehrere
Dispp. angeben, und darbey dienstlich melden wollen: Daß
solche, wie gegenwärtige, ebenmäßsig zu Jena in der Hellerischen
Buchdruckerey, (mit einem gedruckten Catalogo, der be-
reits bis in das 7te Alphabet angewachsen ist, und noch
viel 1000. Stücke, von allerhand in alle Facultäten einschlagende
Dispp. in sich fasset,) um billigen Preis zu haben sind, als:

Beckeri de consensu tacito.

Böhmeri de contractu non prælecto.

Bodini de Bodemeria.

Hahnii de contractibus innominatis.

Hoheiselii utrum successor singularis expellere
queat conductorem?

Kulpisii de circumventionem in contractibus li-
cita.

Mœglingii de contractu ad candelam.

Mantzelii de limitibus contractus antichretici.

Nettelbladtii de doli incidentis & causam dan-
tis in contractibus effectu.

Reisigii de contractu suffragii.

Ziegleri de Mohatra contractu.

Rothii de commerciis institoriis.

Reinharthi de pœnitentia unius partis ob mo-
ram vel perfidiam alterius, in contractibus nomi-
natis exule, neotericorum quorundam hypothesi-
bus opposita.

K. 2

Schrœ-

- Schroeteri de impossibili in contractibus.
Streckeri de inutilibus clausulis notariorum
contractibus adjectis.
Streitii de commercio humano sive veris con-
tractibus.
Schierschmidii de inculpatione culpæ circa con-
tractus emphyteuseos, societatis & mandati.
Titii de contractibus patris & liberorum in po-
testate ejus existentium.
Tilemanni de contractu societatis.
VVilckii de causis contractum perfectum rescin-
dentibus.
VValtheri de vero genere contractus ex permu-
tatione & emtione æqualiter mixti in foro german.
non esse prorsus supervacaneam.
Schulzii de amicabili compositione.
Richteri de impossibili conditione contractum
non vitiante.
Thomasi de arrhis emtionum.
Ejusdem de usu pratico doctrinæ difficillimæ
juris romani de culparum præstatione in contra-
ctibus.
VVaga de eo quod justum est circa matrimoni-
um in articulo mortis contractum.







Jena, Diss., 1667 Schr-Z



f

Sb.

UOM





19

1667, 36b
22

DISSERTATIONEM IVRIDICAM
DE
SIMVLATIS
CONTRACTIBVS,


GERMANIS:
Von denen bey vielen zur Mode gewordenen
jedoch widerrechtlichen Contracten.

SVB PRAESIDIO
ILLVSTRIS NOMINIS IENENSIS ICTI
GEORGII ADAMI STRVVII,
HAEREDITARIJ IN Uffstadt,

P 2021

HABVIT
CHRISTOPHORVS STOCKIVS,

BARBYENSIS SAXO, A.
A. O. R. CIOIO CLXVII. DIE I. MENSE IVLII.



OE PROVIDENTIAM NECESSARIAM ET IN FORIS UTILITATEM.

I E N A E,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1748.